



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Qvæstionvm Regvlarivm R. admodum P.  
Emanuelis Roderici Lusitani, S. T. Lectoris Prou. S. Iacobi  
Reg. Obseru. Ordin. Mino. Diffinitoris**

**Rodrigues, Manuel**

**Lvgdvni, 1621**

Visitatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41743**

400 VISITATIO,  
sed etiam Prouincialis, saltem se-  
cundum aliquos *art. 5.*

VISITATIO.

*Vide Tertiarij.*

**C**um Superiores, præsertim Re-  
gulares, exactam debeant suæ  
villicationis rationem reddere, con-  
uenientissimum est officium Visita-  
tionis seu Syndicationis Fratrum.  
*tom. 2. q. 4. art. 1.*

In Ordine Minorum per statu-  
ta non debent institui Visitatores  
prouinciæ, nisi illi, qui aliquando  
fuerint Prouinciales, aut Diffinito-  
res in praxi causarum Regularium  
bene versati. *art. 2.*

Visitatores instituti cum pleni-  
tudine potestatis pro tota vna pro-  
uincia, non autem si pro vno solo  
Conuentu, videntur posse alios sub-  
delegare, nisi id eis sit interdictum.  
*art. 3.*

Omnes Prælati generales, &  
prouinciales iure diuino tenentur  
aliquando visitare Fratres suos;  
quod probant Doctores ex illo  
Luce: *Et tu aliquando conuersus  
confirma Fratres tuos; & ex iure  
Cano*

VISITATIO. 401

Canonico, singulis annis. *Ex Conc. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 10. & 20. art. 4.*

In visitatione facienda hic ordo seruandus est Primò, visitator proponat verbum Dei. Secundò, inquirat de vita Fratrum, & de locis, & rebus cultui diuino dedicatis secundum iuris dispositionem. Tertiò, de obseruantia Canonum, Præsertim contra *Conc. Trid.* Quartò de obseruantia Regulæ. Et quintò denique de iis quæ solent à Visitatoribus inquiri. *art. 5.*

Iusiurandum exigere debet à Visitatore, non tantum vt quilibet dicat veritatem eorum de quibus interrogabitur; sed etiam eorum omnium quæ scit, credit, vel fama est, *ibidem.*

Iniuste agunt Visitatores, qui inquisitione facta præcipitanter emittunt aliquos Fratres non infamatos, nec conuictos, ad alios Conuentus; aut per sanctam obedientiam vel excommunicationem veritatem ne deinceps ingrediantur quasdam domos non infamatas; quia ista vergunt in iniustum dedecus

Cc Frater,

Fratris, & aliquando totius cōmunitatis; sed debent occultè obuiare malo, modo congruo. *q. 6. art. 9.*

Secundùm ius antiquum poterant Abbatissa, & Priorissa visitare non solùm suum Monasterium, sed etiam omnia alia sibi subiecta; ob-  
tenta tamen licentia ad egredien-  
dum; qua non obtenta tanquam le-  
gitimè impeditis licebat visitatio-  
nem committere alteri etiam maf-  
culo omni exceptione maiori. Sed  
per *Concil. Tridentin.* prohibetur eis  
egressus ea de causa. *art. 10.*

Ordinavit *Clem. I V.* in Ordine  
Cistertiensi, vt Visitator facultatem  
habeat deponendi omnes Officia-  
les Monasterij, etiam Consiliarios,  
cum consilio tamen prudentum, &  
causa id exigente; non tamen Ab-  
batem, nisi in certis casibus, licet  
possit eum suspendere ab officio  
vsque ad Capitulum, in quo defen-  
sionis locum habebit, *quæst. 26. arti-  
culo. 3.*

Lex antiqua visitationis videtur  
inducta ad syndicationem non  
communem hominum, sed Su-  
periorum; & præsertim Iudicum,  
quorum

quorum est alios regere. *tom. 3. q. 77.*  
*art. 1.*

Visitatores non debent facile audire leues; aut impertinentes, multò minùs diffamatorias accusationes inferiorum, sæpius ex passione cæcutientium contra Prælatos; sed prudenter tolerare communem eorum cum aliis infirmitatem: vel ad summum ipsos in particulari mone-  
*re. ar. 2.*

Quàm discretè debeat Visitator procedere contra Prælatum accusatum in visitatione, pro quo meritò semper est bene præsumendum, nisi sit diffamatus, *vide art. 3. 4. & sequentibus.* Quomodo procedendum sit contra calumniatores, excommunicatione Papali *Innocen. VIII.* inhibuit, ne quisquam Regularis, aut Ecclesiasticus, cuiuscumque dignitatis sit, Cistercienses visitare præsumat, præterquam eiusdem Ordinis Abbates,  
*art. 9.*

Qui quidem Abbates eodem priuilegio præceptum habent cum excommunicatione ipso facto incurrenda, visitandi singulis annis



Monasteria sibi subdita; alij autem Prælati Regulares, licet illam excommunicationem non incurrant, peccant tamen grauius; cum in re graui præceptum quoddam maxime necessarium frangant. Sed vtrūque intelligitur de negligentibus, & rebellibus in huiusmodi visitationibus. *art. 10.*

## V O T V M.

*Vide Castitas, Dispensatio quoad vota, Matrimonium, Monialis, Professio, Religio.*

**S**uperiores Ordinis Sancti Benedicti ex concessione *Martini V. & Eugen. I V.* auctoritatem habent dispensandi cum subditis, ubi rationabilis causa id exigit, super quarto voto quod emittunt, de clausura obseruanda, *tom. 3. quæ. 78. art. 1.*

Donati in Ordine sancti Benedicti solennia vota emittunt, non autem in aliis Ordinibus. *art. 2.*

Communis est opinio Doctorum, maiorem nasci obligationem ex voto, quam ex iuramento. *tom. 2. quæst. 121. art. 3.*

Doctè